



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarum Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Vtrum pater vel filius vel trinitas ipsa possit dici spiritus sanctus. G

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



Cap. eodem  
n. paulo in-  
ferius.

apparet in hoc nomine: apparet autem cū dicitur donum Dei. Donum n. est patris & filii, quia à patre procedit, & à filio: ergo Spiritus S. ineffabilis quædam patris filiiq; communio est. Et ideo fortasse sic appellatur vt iam diximus, nec iterare piget quæ patri & filio potest eadem appellatio conuenire, nam hoc ipse proprie dicitur, quod illi communiter quia etiam pater Spiritus, & filius Spiritus; & pater sanctus, & filius sanctus. Vt ergo ex nomine quæ vtriq; conuenit, vtriusq; cōmunio significetur, vocatur donum amborum Spiritus S. Ecce habes quare Spiritus S. proprie dicatur donum, & quod relatiue dicitur, siue donum, siue Spiritus sanctus; & quod nomen sibi proprium tenet, quod cōmuniter patri & filio cōuenit, sed diuisim. Et est scēdum quod cum pater vel filius dicitur Spiritus siue sanctus, neutrum relatiue dicitur, sed secundum substantiam.

*An pater, vel filius, vel Trinitas ipsa possit dici Spiritus sanctus.*

Cap. 11. fere  
ad principium.

Iuan. 4. ca.

Ibid. conti-  
nua.

HIC queri potest, vtrum pater vel filius vel etiam ipsa Trinitas possit dici Spiritus sanctus, sicut disiunctim dicitur & Spiritus & S. De hoc Aug. in 5. libr. de Trin. sic ait: Trinitas nullo modo potest dici filius: Spiritus vero sanctus potest quidē vniuersaliter dici, scēdum id quod scriptum est: Quoniam Deus Spiritus est. Itaque pater & filius & Spiritus sanctus quoniam vnus Deus est, & vtrique Deus sanctus est, & Deus Spiritus est, potest appellari Trinitas & Spiritus sanctus. Sed tamen tunc Spiritus sanctus relatiue non dicitur secundum essentiam; quia proprie Spiritus sanctus, qui non est Trinitas, sed in Trinitate, dicitur relatiue.

Quidam